



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 5. Quando hoc matrimonium solvatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



quia hæc dispensatio, sicut & Polygamia, per legem Euangelicam est sublata, quando Dominus Matth. 19. matrimonia reuocauit ad primæuam institutionem, iuxta quam vnus vni inseparabiliter adherere debet. Hinc Iudæus, vel Gentilis habens plures vxores, si ad fidem conuersus fuerit, compellitur, cæteris dimissis, dumtaxat primam retinere, etsi fortè illam repudiasset, modò ipsa simul conuerti velit: vt definit Innocentius III. Cap. *Gaudemus*, De diuortijs.

## D V B I V M I V.

*Virum in noua lege Matrimonium Infidelium possit dissolui, si alter conuertatur ad fidem, altero nolente conuerti?*

93  
Ius dissol-  
uendi hoc  
matrimo-  
nium est à  
Christo.

**R**espondeo: Matrimonium Infidelium in eo casu posse dissolui, quamuis sit consummatum. Probatur Primò: 1. ad Cor. 7. v. 15. *Si infidelis discedit, discedat; non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: vbi omnes Interpretes id docent.* Probatur Secundò: Ex Cap. *Quanto*, & Cap. *Gaudemus*, de Diuortijs, & Cap. *Si infidelis* 28. quest. 2.

Vbi notandum: Hoc ipso quo alter conuersus est ad fidem, si altera nolit conuerti, habet conuersus à Christo ius dissoluendi matrimonium, vt patet ex verbis Apostoli, cum ait: *Nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater vxorem habet infidelis, & hæc cum illo habitare consentit, non dimittat illam.* Non ergo Dominus præcipit, vt non dimittatur, ac proinde Dominus permittit vt dimittatur. Idem patet ex Augustino lib. 1. de *Adulterinis coniugijs* c. 13. vbi in fine sic ait: *Non enim propter vinculum cum talibus coniugale seruandum, sed vt acquirantur Christo, recedi ab infidelibus coniugibus Apostolus vetat.* Vbi nota, illud; *Vinculum coniugale.*

Dissolui-  
tur vincu-  
lum.

Hinc colligitur nõ esse verum, quod docet Sorus d. 39. q. vnica, a. 4. & D. Tho. in *Addit.* q. 59. a. 5. *Si vir infidelis cõsentit habitare cum vxore fidei sine iniuria fidei, posse quidem dimitti quoad torum & cohabitationem, non tamen quoad vinculum.* nam Apostolus loquitur de *solutione vinculi*, vt explicat Augustinus loco citato. Hortatur tamen Apostolus, *Vt infidelis non dimittat infidelem, si consentit cohabitare sine iniuria fidei*, nempe quia spes est eius conuertendi. Similiter suadet, vt vxor fidei nõ dimittat virum infidelis; tum quia spes est conuersionis eius, tum quia alioqui filij ipsorum immundi essent, id est, instruerentur in infidelitate; nam in repudio sequerentur patrem. Theodoretus tamen putat esse præceptum Apostolicum. Sed verius est esse solùm consilium, vt Augustinus insinuat: quia non vult Apostolus eos priuare iure, quod Dominus concessit, sed monet vt in casu prædicto non vtantur.

94  
Soluuntur  
obiec-  
tiones ex  
Matth. 19.

Dices Primò: Matth. 19. v. 6. Christus ait, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*: ergo, cum matrimonia infidelium legitima, à Deo iuncta censeantur, non possunt dirimi.

Respondeo: Non dirimi ab homine, sed à Deo, cuius interpretes est Apostolus: id enim Dominus in fauorem fidei concessit.

Dices Secundò: Dominus ibidè solùm permittit vxorem dimitti causa fornicationis: ergo non ob infidelitatè. Confirmatur: quia non potest dimitti ob hæresim vel apostasiam, sic vt vinculum soluat: ergo neque potest dimitti, quia non vult conuerti.

Respondeo: Dominum ibi loqui de matrimonio pari, id est, quod inter eos, qui paris sunt conditionis seu religionis, constat; quale est matrimonium inter coniuges fideles, & inter coniuges infideles; vt docet D. August. lib. 1. de *Adulterinis coniugijs* c. 13. quod etiam satis insinuat Apostolus 1. ad Cor. 7. v. 10. 12. 13. Ad cõfirmationem: Respondeo, esse disparem rationem: nam matrimonium contractum à Christianis, est Sacramentum; ac proinde omnino insolubile post consummationem; vnde ob hæresim vel apostasiam solui nequit: matrimonium verò infidelium non est Sacramentum; quare non habet tantam firmitatem.

Aduerte: In Hispania vbi Conc. Toletanum IV. id vetuit, & Romæ vbi idem decretum est receptum, non posse manere coniugem fidelem cum coniuge infideli, etiam si iste sine iniuria fidei cõsentiat habitare. In Indijs tamen & alijs locis vbi hoc decretum non est receptum, licitum est vti consilio Apostoli, & simul habitare sine iniuria fidei.

Petes: Cui assignandi sint liberi in tali diuortio?

Respondeo: Si habeant vsum rationis, relinquendi sunt suo arbitrio. Si verò careant vso rationis, assignandi sunt cõuerso, idque in fauorem fidei, vt patet ex Concilio Toletano IV.

## D V B I V M V.

*Quando hoc Matrimonium soluat?*

**R**espondeo: Hoc matrimonium tunc solui, quando fidelis cõtrahit cum alio, relicto infideli: vel quando in probata religione proficitur; professio enim in hac causa æquiualeat matrimonio, vt vsus Ecclesiæ docet. Non tamen soluitur, si infidelis cõtrahat ante fidelem. Et ratio est; quia infidelis non habet ius contrahendi cum alio; teneatur enim conuerti & manere cum priori cõiuge. Quòd si non cõuertatur, iniuriam irrogat priori matrimonio, præbens iniuste causam eius dissoluendi. Postquã tamen fidelis cum alio cõtraherit, iam solutum est matrimonium prius; & sic etiam infidelis licitè potest contrahere; quod est contra Dom. Soto dist. 39. art. 4. q. vnica. Ratio est; quia Ecclesiã nõ potest prohibere infideli ne cõtrahat, cum eius legibus non sit subiectus: neque iure diuino prohibetur, cum vinculum prioris matrimonij per secundas nuptias fidelis, sit solutum.

Quòd si fidelis nec cõtrahat secundò, nec religionem approbatam profiteatur, sed sacris Ordinibus initiatur; non potest infidelis matrimonium inire, etiam si conuertatur postea. Ratio est, quia vinculum prius non est solutum. Sed neque potest ad priorem coniugem redire; quia hic legitime sacris Ordinibus est initiatus. Vnde sibi imputare debet quòd cogatur manere cælebs. Ita Soto supra, & alij.

Ratio autem cur non æquè tale matrimonium soluat per Ordines sacros, quàm per professionem in Religione approbatam, est; quia susceptio Ordinum non est mors ciuilibis, sicut professio Religionis: neque ita matrimonium pugnat cum statu Sacerdotali, sicut cum monachatu. Nam vsus matrimonij est contra essentiam religiosæ professionis, non est autem contra essentiam status Sacerdotalis.

DVBIVM